



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 13. Andreas Cardinalis Austriacus Romæ mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI
A. C. 1600.

num contendit, inde vero e porto
vens decima septima ejusdem Mensis
triremibus Pontificiis, Florentinis, &
Melitenfibus stipata tertio Novembris
Massiliam appulit, a quatuor Cardina-
libus, aliisque primæ Nobilitatis Viri-
fæminisque illustribus excepta: poli-
quam vero die secunda Decembris Lug-
dunum pervenerat, ibidem a Regis
sponso suo die nona ejusdem Mensis
tenerrimo affectu honorata fuit, ubi
etiam idem Rex, præsentè rursus e-
dem Cardinali Aldobrandino, nuptiarum
solemnia publice celebrabat, tanta ce-
lesti benedictione, ut ex prospero hoc
connubio intra novem Menses glorio-
sissimus Regni hæres Ludovicus XIII.
nasceretur.

§. XIII.

*Andreas Cardinalis Austriacus Romanus
mortuus.*

Spond. n. I. Præter Parmæ Ducem, Henricum
Thu. l. 124. Gusmanum Proregem, aliosque Prin-
Ciacon. cipes, quamplurimi etiam Cardinales
tom. 4. p. 48. anni expiatorii indulgentias consecuti-
ri Romam sub idem tempus venerant,
quos inter postremus urbem ingredie-
batur Andreas Austriacus Cardinalis
Ferdinandi Archiducis, & Philippinæ
Valzeræ Filius, qui incognitus, sac-
coque peregrinantium more amictus &

& nonnisi quatuor, aut quinque do- **Sæc. XVI.**
 mesticis stipatus Romam accesserat, **A.C.1600.**
 ubi sacra templa invisens rara humilitatis, pietatisque specimina ediderat, tandem vero a quibusdam agnitus noctu, invitus licet, a Cardinali Aldobrandino ad Papæ Palatium deducebatur, ab eodem humanissime exceptus, quo etiam annuente Neapolim secessit, ibidem sancti Januarii Caput, Sanguinem, & reliqua ipsa veneraturus: inde Romam reversus in Pontificiis ædibus acuta febris correptus est, in cujus cubiculo ipse summus Pontifex ad majus infirmi solatium sacris operatus est, atque eidem sacrum administrabat viaticum, quo pie recepto Andreas editis veræ fidei, pietatisque signis inter Christi Vicarii brachia hoc anno die vigesima secunda Novembris animam Deo reddidit, in Ecclesia Beatæ Mariæ de Anima, dum corpus ejus postea fuit translatum, die prima Decembris in defuncti laudem perorante Pompejo Ugonio. Erat hic Princeps Maximiliani Cæsaris Nepos, Pragæ die decima quinta Junii anno salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo natus, & unacum lacte materno pietatis, Religionisque Catholicæ affectum hauriebat, atque animam virtutibus, ingenium vero omni scientiarum genere, &

Hist. Eccles. Tom. LII. N n qua-

Sæcul. XVI.

A.C. 1600.

quatuor linguarum peritia excolebat, quibus prærogativis ornatus, decimo quinto ætatis suæ anno Romam contulit, ubi a Gregorio XIII. Papa Vaticano Senatus Purpura honoratus præclaræ prudentiæ, regiæque celsitudinis specimina reliquit, inde autem exacto biennio revocatus, Comitatum Tirolensem nec non Gebrardo Truchsesio Catholicam fidem deserente, Ecclesiam Carniensem tanquam Legatus Apostolicus ac tandem sub Sixto V. Constantiensem, & sub Gregorio XIV. Brixientem sedem Episcopus regendam suscepit. Postea Alberto Archiduce in Hispaniam proficiscente, a Catholico Rege Belgii Administrator nominatus populos in fide Catholica, militesque in officio continebat. Interfuit sacris Comitiis, in quibus Sixtus V. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. summi Pontifices inaugurabantur.

§, XIV.

Clementis VIII. conatus pro dirimenda lite circa Salutarum Marchionatum.

Thu. 1. 124.

Spond. n. 7.

Daniel. hist.

de France

tom. 10. p.

261.

Interim Carolus Emanuel Sabaudie Dux, cum se nonnisi quæstis conversationibus, vanisque promissis, verbisque officiosis distineri cerneret, ipse in Franciam ad Henricum IV. Regem pergere